Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-565036-p0001-6

Tomus XIII
Miscellaneorum Philologicorum.

63.

I. N. J.

ἜΧΑΣ

Positionum Ebræo-Philologicarum,

ad Cap. IV. Gen. com. I.

Quam

D. O. M. A.

In illustri ad Albim Academia,

Placidæ συμφιλολογόντων censuræ submittunt,

PRÆSES

M. DANIEL Tiefftrunck / Betterf.

Saxo, Alumnus Elect. Saxon.

& Respondens,

SIGFRIDUS FRUNTZKÆUS, Suerino-Polon.

in Audit. Minori,

ad diem 3. Januar.

A. O. R. M. DC. LV.

Hor. ab IIX. matut.

Wittebergæ, Typis Rôhnerianis.

ἔξας POSITIONUM EBR. PHILO-
LOGICARUM,

עמי עשו

קניתי איש את יהוה: *Possedi Virum Dominum:* Verba sunt Evæ, πρωτομήτης, quibus pia Mater, πρωτότοκον suum, non saltem lætabunda excipiebat; sed simul etiam, quomodo factam sibi, de זרעה *Semine suo*, promissionem, intellexisset palàm faciebat. Pauca quid. verba; sed tot interpretum versionibus & interpretationibus obnoxia, quot ferè ipsorum capita, ut fortè non inscitè hîc cum Persio dixerimus:

Velle suum cuiq; est, nec votô vivitur uno.

Nos Lutheranæ, ductum & suasum Veritatis secuti, subscribimus, ipsique haud parum putamus affusuras lucis, quas jam B. C. D. disputatoriæ velitationi committimus, *positiones Philologicas:* Quarum sit.

I. Cum omnes omninò, quos videre hact. licuit, Grammatici & Philologi Ebræi, ij etiam, qui in diversum hic â nobis abeunt, forte ob amorem, non tam in Veritatẽ quam Præceptorem, ὁμοφραδμενως asserant, *voculam* את, *quando præcedit verbum transitivum activum*, quale etiam hic est קניתי nostrum, *frequenter & quasi semper*, Pellicanus in suis explication. p. 125. *Communiter*, Pareus in comment. post. in Gen. p. 655. & Mercerus in Thes. *ut plurimum*, Rivetus Exercitat. in Gen. XLII. *proprie*, Buxtorff. lib. II. Thes. p. 423. & Constant. L'Empereur ad Mos. Kimchij ἀδοιπος. p. 255. *ceu nota peculiaris*, Erpen. Gramm. Ebr. Gen. p. 218. *plerumq;*. Bythnerus in Gramm. Lyræ suæ prophet. subnexa, reg. 33. *ordinariè & regulariter*, Terentius triade 1. meditat. Phil.

nuper emiſſarum p.241. & alij, *notare caſum quartum*, concedantque ſimul, imò urgeant nobiscum, eſſe â communi, regulari, & ordinaria vocis uſurpatione, non niſi ob urgentisſimam rationem abeundum, neſcio ſanè quare CL.Druſius, Verſioni B. Μεγαλάνδρε noſtri, id omne probè attendenti & ſtudiosè obſervanti, adeo nigrum, cum Mercero ſuo, comment.in h.l.p. 107.A.præfigat theta, ut *duram, coactam*, quin etiam planè *ridiculam* dicat, ipſe fortè potius (quod tamen pace tanti Viri dixerim) ob id ridendus, comm.in h.l.& in notis ad lib.1 Sulpitij.

II.

B.Lutheri d.l.Verſio Sueto Scripturæ S.ſtylo conformis eſt, utpote, ſecundum quem, in rectione duorum ſubſtantiv. dependentium ab activo, nomen mediante את regente, quando prius appellativum eſt, poſterius proprium, vel etiam quando utrumque appellativum eſt, articulus את *vel utrique*, quod largiuntur, & teſtantur loca Gen. IV. 2. XLVIII.1. Joſ.XXIV.3. Judic.III.28.1.Sam.XV.18. 2. Sam. III. 14.V.3.VII.7. XiV.21. 2.Paral.XIII.9. Jer.XXXII.21. Zach.XI. 10.&c. *Vel poſteriori tantum* præponitur, v.g.Gen.XXVI.34. ויקח אשה את־ יהודית *& duxit* (Eſau) *uxorem Jehuditham.* Ubi ovum ovo non eſt tam ſimile, quam hic locus noſtro, reſpectu conſtructionis, uti in ſpicileg. ſuo 1. q. 2. §.8. benè obſervat Magnific.Dn.D. Wellerus, Vir, de quo merito dixeris Thalmudicum illud: זיג כזוזא חיורא, *ſplendet ſicut nummus candidus*, Patronus atque Promotor meus, ut ſummus, ita venerandus mihi,

ἐισόκεν ἐισοράω γλυκερὸν φάος ἠελίοιο:

Eſt enim utrobique *verbum activum*, illic קנתי *hic* ויקח Sequitur utrobique *nomen appellativum*, illic איש, hic אשה Reſtringitur etiã utrobiq; *nomine proprio* ad certum individuum

viduum, mediante particula את &c. calculumetiam adjicientibus nobis LXX virali, Tremelliana, Piſcatoriana, Belg. nup. &c. Si verò vis ipſum πτραγράμματι tali modo conſtructum videre, ecce tibi illud Jeremiæ c. XVII. 13. עזבו מקור מים חיים את יהוה *Reliquerunt ſcaturiginem aquarum perennium Jehovam*. Piſcator expresſisſimè, nemblich den Herren. Ita LXX. & Belgica nuper. verbis quidem tranſpoſitis, ſed ſenſu eodem &c. Confer, quæ gemina ſunt 1. Reg. XI. 14-23. Ezech. IV. 1. (quem locum jam olim etiam vidit Druſij diſcipulus haud degener, Cl. Sixt. Amama antib. p. 374. eo ipſo Præceptore oculatior) Gen. VI. 10. XXII. 20. 21. Eſth. IX. 6. 7. 8. 1. Sam. XIV. 4. &c. Haud igitur ſcio iterum, quâ veritate ſcripſerit laudatus modò Cl. Druſ. quod *verſioni Luth. repugnet ipſa conſtructio Ebraica, ſecũdum quam*, ut ipſe quidem, ſed perperam ſanè, ceu adducta exempla docent, opinatur, *eſſet* את־ איש את־ יהוה Quod etiam, ipſum forte, ceu ovis ovem ſecuti, ſuum faciunt & repetunt Zülchovius quidam, ad h. l. & Rivetus, haud obſcurus in Belgio doctor l. c. Cum tam. potius *ex Elegantiis Linguæ Ebraeæ ſit, quando* את *pleonaſtice utrig. ſubſtantivo præponitur*, ſunt verba diſput. p. ſub Præſid. D. Reich. Francf. an. XLV. habitæ: & Geminatio particulæ את nihil magis probet quam nomina, quibuscum ita conſtruitur, eò urgentius per accuſativum reddenda eſſe, id quod ſolitariam ejus uſurpationem ab hac ſua ſignificandi poteſtate non detrudit, uti loquitur Dn. D. Walth. in off. bibl. p. 679.

III.

Cum Phraſin σὺν τῷ Θεῷ, cum Deo, per Deum, Deo fortunante, opitulante &c. *Scripturæ ſtylus ſemper exprimat, vel per* באלהים. v. g. Pſ. XII. X 30. LX. 14. CVIII. 13. 2. Sam. XXII. 30. *vel per* ביהוה v. g. Eſ. XLV. 17. Jer. III. 23. Oſ. I. 7. Deut. XXXIII. v. ult.

Zach.*XII.*5. Et, ſi Cl.Sixt. Amamæ credimus in antibarb. p.378.paſſim in Pſalmis: unde etiam ב illud Philologis ב העזר audire conſuevit. *Vel per* עם אלהים 1. Sam. *XIV.*45. & quidem, quantum ego ex evolutione Concordantiarum obſervare potui, in unico ſaltem illo loco: *Nusquam vero & nunquam per* את יהוה, præſtolatur & hic mens noſtra, diſcendi cupida, non ſine ſuo deſiderio, quid magna illa nomina, Mercerus, Druſius, Amama, Rivetus, D.G.C.etiam,&alij,qui valere juſsá Lutherana verſione, tale quid hic ſubeſſe, vehementer contendunt, firmandæ huic rei, nobisque ſolidè perſuadendæ, ex Grammaticæ Philologiæque ſacræ armamentario, ſacro interpreti, nunquam non meritò magni faciendo, commodùm proferre vel poſsint vel velint. Niſi fortè præter omnem omninò neceſsitatem ad Enallagen & confuſionem particularum, cum Sixt. Amama את & עם pro ſynonymis habente, l.c.p.578.velint confugere. Ad quam tamen,cum conſtructio per ſe & ſuâ naturâ eſt clara,& multis exemplis confirmata , confugere, eſt Veritati repudium mittere, & amplas quibusvis Hæreticis feneſtras, ſcripturas detorquendi, adaperire; ut iterum ſuo more i.e. optimè monet, ſupra jam quidem, ſed nunquam ſatis laudatus Dn.D.Wellerus L,c.§. 17.

IV.

Cum *particula* את *ſine præfixo fronti ſuæ* מ particula, ut vocant Grammatici, inſperabili, in vet.Teſt. tabulis *rariſsimè*. & vix ſaltem unico in loco, (quicquid etiam vel cum Piſcatore, & Cl. Conſtant. L'Empereur Biblia belgica nuper.de loco Jer. LI.59.vel Cl.Ludov.de Dieu de loco 2. Sam.*XIX.*32. diſsidentibus cit. modo bibl. vel Cl.Buxt.de 1. Reg.*XIX.*22.cui dudũ ſatisfecit Helv.in *De*ſid.vel alij de aliis dicant) nimirum Gen. *XLIX.* 25. מאל אביך ויעזרך ואת שדי ויברכך Ubi divinus Lutherus ita tranſtulit, von dei-

nes

nes Vaters Gott iſt dir geholffen/ und von den Almächtigen biſtu geſegnet, & ipſa textus συνάφεια, non modo ſuadere illud, ſed penè imperare videtur, *per à, ab, ex reddenda veniat*, ſanè, vicisſim non videmus, quare, cum nulla ſolida urgeat neceſsitas, uti ab Exc. & Cl. Theologis, Præcept. noſtris & viva & muta edocemur voce; & ipſe etiam Pareus, ſat acer aliàs Lutherani hujus oppugnator, fateri ab ipſa veritate cogitur: cui Verſio *Lutheri pium inventum* (interpretamentum dicere debuit) audit, l. c. repudio miſſo ſimplici & è litera fluenti verſioni noſtræ, ejusmodi inſuetam aliàs acceptionem hic acceptent propugnentque, Munſt. Junius, Trem. Angl. Herbornenſis, Pareus, Toſſanus, Cl. *Lud. de Dieu* l. modò c. Belgica nuperrima &c. diſſitentibus, imò renitentibus etiam ipſis אנשי ביתו *Sociennis ſuis*, & ceteroquin in Religione ὁμοψήφοις, ut videre hoc ipſum licet ap. Sixt. Am. antib. p. 371. ubi Junij exempla nobis ipſe dedit exploſa, & inde contra *D. G. C.* adducentem recteq; urgentem *Dn. D.* Weller. in der abwiſchung p. 199. & alios.

V.

Cum *ex artic.* ה *præſentia vel abſentia argumẽtari* velle; ſit μήνιθος ἀδὲν ἀσάσασα, vel ut Rab. loq. בנוי על טענות חלישות *ædificium admodum lubricum & arenoſum*, non video, quomodo Cl. Sixt. Amama, ſcilicet, à *Druſiano* fundamento, *particulæ* את in tali conſtructione *geminationi*, ſuperſtructo, per exemplum Exech. IV. 1. (imò plura alia) dejectum ſe eſſe animadvertens, ſcribere in hunc modum poſsit: *Illud puto, pluſsculum roboris habiturum, ſi Eva reſpexiſſet ad promiſsionem illam de Semine Benedicto, operæ pretium fuiſſet, ſi non pronomen* הזה vel ההוא virum hunc, vel virum illum, *ſaltem articulum* ה *voci* איש *præfixiſſe*, קניתי האיש τὸν ἄνδρα. *Nunc vero nudè ponitur ea vox, ut nullus videatur eſſe ad promiſsionem illam Evangelicam reſpectus* Antibarb. bibl.

lib.II.c. IV. p.374.375. Verùm, si seriò, quod apparet, hic agit, ignoscat nobis, ut, quod ipse l.c. p.373 in B. Luth. nostrum, & nos in ipsum dicamus, videlicet, *dormitasse hic magnum Homerum.* Nam, ut jam non dicam, articulo hic adeò opus non esse, quum appellativum hoc איש nomine proprio sequente, cui alias ה הירועה præponi non solet, uti docent Grammatici, satis restringatur, & referatur emphatice ad hominem, quisit *θεάνθρωπος*; Nemini sanè, nisi qui prorsus hospes est in hac literatura, non potest non notum esse, articulum ה (*quod etiam de Græco tradunt alibi græcorum Magistri,* quemq; proinde J.C. Scaliger *dicacissimæ gentis flabellum* vocasse, refert Frischl. *Synt.* Græco-*L.*p.89.) sæpiculè adesse quidem, sed nihil minus quam *δεικτικὸν* sive ה הירועה esse, uti vel ex suæ gentis hominibus dudum observarunt Mercerus ad Gen.XIV.13. & Drusius lib. II. de משׁ וכו cap.II. adductis exemplis Deut.VIII.3. Gen.XIX. 8. XLII. 17. Lev. V. 8. quibus adde, Gen. XIV. 13. Num. XI, 27. Eccl IV. 9. ut proinde rectissimè scripserit Tarnovius, quem *Ipse*, non sine suo merito, magni semper fecit: *Materia igitur subjecta & reliqua antecedentia & consequentia id indicabunt, num sit articulus ὁριστικὸς an ἀόριστος, in exercit. bibl. p. m. 675.* Contrà vero ea, abest frequenter articulus ille, ijs etiam locis, ubi ejus usus quam maximè videbatur requiri: v.g. quando Jes. IX.5. dicitur: ילד ילד לנו בן יתן לנו *Puer natus est nobis, filius datus est nobis*, sine dubio est respectus ad *Filium illum*, qui promittitur cap. VII.14. ut vel ipsa etiam bibl. belgic. nuperr. scholia in h. l. testantur, neque tamen reperitur ibi, vel pronomen הזה aut ההוא vel saltem articulus. Ita etiam quando cap. XVII. Jerem. v.13. (quem locum p.a. etiam adducebamus) dicitur: *reliquerunt* מקור מים חיים את יהוה *scaturiginem*

ginem aquarum vivarum Jehovam, iterum habetur procul dubio respectus ad *Scaturiginem illam*, de qua Propheta cap. II. 14. dixerat, quod iterum præter alios recte docent bibl. belg. m. c. neq; tamen vel ibi apponitur, vel pronomen הוה aut ההוא vel saltem articulus; quod tamen vi collectionis Sixtinianæ feciſſe fuiſſet operæ pretiũ. Patet igitur quod h. l. צריך ערבה ערבה *Fidejussor ejus fidejussore indigeat* Imò miramur quod vir ille, aliàs haud παχύς τις ὤν, non animadverterit, gratisſimum hoc Photinianis, vel alijs etiam Adverſarijs, futurum telum, qui ita, ſi non omnia, plurima tamen de Chriſto noſtro agentia vaticinia, uno quaſi ictu dejicere poſſent.

Poſitio VI. & ultima.

Tandem, non immerito forſan ſubit mirari, quomodo Cl. Rivetus l. ſupra c. p. 170. & cum ipſo non abſimiliter prorſus Dn. *D.* G. C. in der wiederlegung num. *LXXI.* lit. K. III. ſcribere haud vereantur, *quod receptæ apud Judæos & Chriſtianos communiter verſiones & paraphraſes, ſenſum illum* (Virum *D*ominum) *ferre non poſſint &c.* Cum tamen contrarium potius verum ſit, uti vel etiam à ſuis uterque facilè edoceri potuiſſet, ſi voluiſſet. *Verſioni n. Lutheranæ calculum ſuum dudum jam adjecerunt, non ſolum ex Judæis*, Targum R. Jonathan ben Uziel, haud minoris fere, quam ipſe ſacer Codex, apud Suos autoritatis, teſte Galat. lib. I. de arcanis Cath. veritat. c. III. in hunc modum locum noſtrum παραφράζοντος: קניתי גבר את מלאכא דיי *Poſſedi Virum*, (ל enim quod alia exemplaria ipſi גבר præfixum habent, in Manahemo abeſſe, etiam *D*ruſius teſtis eſt) *Angelum illum Domini.* Quæ, quod validum argumentum præbeant contra impietatem & perfidiam Judæorum, Chriſti divinitatem negantium, judicat rectè

cum

cum *Doctissimo* Fagio idem *Drusius* super h. l. Cum quo itidem consentit *Vetustus Cod. Syr. manuscriptus* ap. *Lud. de Dieu*, reddens: acquisivi *Vir. Dominum*, ut adducitur *in diss. Reich.* supra cit. Item *Cabbala quædam vetus*, ap. Joh. Reuchl. lib. *1.* Cab. p. 628. 629. de Angelo Rasiele, misso divinitus ad Adamum lapsum: Cui subjungit: Heva jam futura viventiũ mater summotâ, desperatione, tandem à viro suo cognita concepit & peperit primogenitum. Unde ingenti & incredibili gaudio perfusa, quod putaret ei mox Salvatorem esse natum, sic exclamat קניתי את איש יהוה *acquisivi virum illum quatuor literarum*, quas literas jam pridem ab angelo receperant &c. Nec non *Rabbini quidam*, Autor בראשית רבא qui teste Cl. Buxt. de abbr. p. 57. fertur *Rabba* bar Nachmoni, qui anno ætatis suæ decimo octavo factus est *Rector Academiæ Pombeditanæ*, circa annũ *Christi* trecentesimum: ita enim f. edit Thes. 20. *Col.* 1. circa medium scribit: חמת לה הא איתתה בנין אמרה הא קנין בעלי בידי i. e. *vidit hæc mulier liberos itaq; dixit: Ecce possessio Domini* (vel mariti) *mei est in manu mea.* Quæ verba sic enarrat רשי qui, quia, inter omnes legis interpretes princeps est, κατ' ἐξοχήν dictus est פרש נותה *interpres legis*, teste iterum Cl. Buxtorf. l. c. p 195. כיון שהאשה רואה שילדה בנים לבעלה היא אומרת קניתי את בעלי *Quum vidisset uxor, quod liberos pepererat marito suo; dicebat, acquisivi maritum* (vel Dominum) *meum.* Nomen n. בעל quidem, cum *Dominum*, tum maritum denotat: Sed Evam post partum demum acquisivisse maritum, ut satis commodè dicatur, vereor, ideoque antiquissimi isti autores idem cum Osiandro (imo *Luthero*) sensisse videntur, verba sunt *Cl. Constant. L'Empereur*, quem non sine suo merito

merito cum Talmude, cujus, dum ageret inter nos, peritissimus erat, dixerimus מרבנן צורבא *robur sapientum*, præsertim in hac literatura, l. c. p. 256.

Sed etiam *ex Christianis, & quidem Papistis*, Isidorus Clarius, qui referente Dn. Schrödero in opusc. Theol. *se octoginta millia errorum, in veteri ista vulgata versione emendasse asserit*, apud Magnum Gerhardum nostrum יר"ו Virum, de quo merito dicimus illud Rabb. בב"ל in comm. in h l. p. 129. ubi etiam *Veteribus* accenset ipsum, & ap. jam sæpe citat. Dn. D. Wellerum in der abwischung pag. 203. *Ex nostratibus*, Draconites & Förster us, suo tempore, omnium consensu, Ebraicè doctissimi, ille in h. l. Hic in lexico suo. Ita Brentius, Rhegius, Chytræus, Gesnerus, & si unum D. G. C. excipias, quod ego sciam, omnes. Imò *ex Calvinianis ipsis*, Pellicanus, l. supra pos. 1. c. quem Pareus, non solum doctum sui seculi Ebræum alibi haud immeito nominat; sed testatur etiam, quod Lutheranam sententiam ex Cabalistis probarit Tom. 1. oper. in quæst. 2. f. 144. lit. b. Edit. noviss. Sic etiam ex recentioribus *agnoscit* laudatus modò Cl. Constant. L'Emper. *Sententiam Osiandri (Lutheri etiam) piè & orthodoxè dici & propria niti particulæ* את *significatione*, l. paulo ante c. Et Frider. Reicheli, us Theol. Doct. ejusd. ut & Ebr. L. ap. Francof. dum vivebat, P. P. haud planè imi apud suos subsellij, non saltem defendit prolixè hic Vers. Luth. sed simul etiam respondit maximè ad Sixt. Amam. Except. in disp. pos. 11. citata quæst. IV. Et fortè alij. sed sistimus hic & dicimus: בילאו

Corollar. I.

Particulam את in regimine, *cum aliis particulis separabilibus & inseprabilibus, posteriori nomini haud inelegan-ter præmissam*, patrium etiam (*licet rariusculè*) quandoq; notare casum, *docet ex Mikhlol f. 4 col. 4 cum B. Trost. Excell. Dn Sen-*

Dn. Sennertus, Præceptor & Promotor meus colendus mihi,
בעוד רוח חיים באפנו:
— — — *dum ſpiritus hos reget artus,*
lib. II. Gram. cap. I. p. 139. IX. exemplo adducto ex Jeſ. VIII. 6. Cui geminum forte dari poteſt illud Mich. III. 8. impletus ſum כח את רוח יהוה virtute ſpiritus Domini, *niſi quis vel cum bibl. Belg. nup.* את *pro* מאת *poni, vel cum Cl. Buxt. ellipſin* מן זה *eſſe dicere maluerit. Inde jam reſponſionem petere poteſt Cl. Amama, quando in Antib. ſuo lib. II. p. 372 quærit,* ubi auditum vel lectum את genitivi articulum eſſe?

II.

Particula את *non rarò* nominandi caſum, *Paſſivis* ſubjunctum, *pleonaſticè quidem, ſi ad latini eloquij regulas reſpicere volueris, ſed emphaticè tamen, &* לתוספת הביאור *ut Rabbini loquuntur,* ob majorem perſpicuitatem *præcedere ſolet: ita, ut tunc* את *idem ſit ac* עצם *ut fuſius docet Abenezra ad Gen. X. com. 8. & exemplis declarant* modo laud. Cl. Dn. Sennert. l. c. C. III. reg. I. ann. 3. p. 172. Buxt. Theſ. lib. II. cap. IX. p. 422. &c. *Imo, verba ſunt Cl. Ludov. de Dieu Orientalium L. dum vivebat, callentiſſimi, in animadv. in cap. XXXII. 5 Jer.* באים להלחם את הכשתים *artic.* את Nominativum deſignat, non tantum ante verba paſſiva, quod paſſim obvium, ſed etiam ante activa intranſitiva, quale hic eſt באים venerunt. Vide Neh. IX. 32. I Sam. XVII. 34. 2 Reg. VI. 5. Ezech XLIII. 7. Imo & tranſitiva, ut Nehem. IX. 32. Jer. XXXVIII. 16. Ezech. XXXIX. 14.

Ad Dn. M. Præſidem &c.

INgenij ſatagis nunc pandere vela, ſacrisq́
Fontibus innixus prælia docta Paras.
Gratulor & voveo, creſcant conamina mentis,
Inq́ altos ſtudium ſcandat aduſq́ gradus.

Gratulab. ſcribebat
Johan. Scharfius D. Sen. & Præpoſ.

01 A 6640

ULB Halle
003 108 309
3

Sb.

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-565036-p0015-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-565036-p0016-9

63.

64

V. 7.

ΧΑΣ

o-Philologicarum,

. Gen. com. I.

yam,

M. A.

bim Academia,

ντων censuræ submittunt,

ÆSES

Tiefftrunck / Betterf.

us Elect. Saxon.

pondens,

ZKÆUS, Suerino-Polon.

t. Minori,

3. Januar.

M. DC. LV.

IIX. matut.

Typis Rôhnerianis.